



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Funere viduæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

## In Funere Viduæ.

**D**avid Pl. 81. tria hominibus attribuit, dignitatem, *Ego dixi; Dii estis.* desideria, *Filii excelsi omnes.* Hieron. legit. *Filii affectantes omnes,* tandem. *Sicut homines moriemini,* &c. hæc tria in funere præfenti explicabo.

*Dii estis.* Homo nobile est opus etfi ex terra. Nazianz. vocat illum, *Inter nuntium caelestem.* Aug. *Civem cali.* Basil. *compendium Divinitatis.* Chrysol. *Fibulam cali & terra.* Fabrica mirabilis, omnia in proportione, (vide meam Arithmeticam, & septimam partem Physicæ) In homine continetur Animus seu Spiritus ut cœlum, qui idem est cum anima, sed Spiritus dicitur quantum se ad cœlestia levat. Anima, ut aër, media inter cœlum & terram, & hæc vivificat, corpus ut terra. 1. Thefal. 5. *Ipsè autem DEUS pacis sanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus vester & Anima, sine querela in adventum D. N. J. C. servetur.* Quare homo vocatur parvus mundus. Est sicut horologium ex diversis rotis. Greg. hom. 29. in Evang. *Omnis creatura aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus: vivere cum arboribus: sentire cum animalibus: intelligere cum Angelis.* Agnoscunt præterea Creaturæ dignitatem in homine, & illum veluti subditi de medio sui præcipuum mittunt ad Principem salutandum. Pl. 148. *Laudate Dominum,* &c. *Sol & Luna,* &c. *dracones &c.* in fine. *Juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini.* Quasi reliqua non satis esset ad hoc idonea, faciat homo. Sed si ita nobilis, cur ultimò factus homo? Respondet Chrysol. hom. de opificio Hominis. Cùm Princeps est venturus, Præcedit culina, &c. Ut omnia parata inveniat, ita de homine, est Princeps. Gen. *Dominamini piscibus maris.*

T

Ulce-



Ulteriùs Trismegist. *Magnum miraculum est homo, animal be-  
norandum & adorandum. Hoc enim in naturam transitus DEI,  
quasi ipse sit DEUS. Liplius epist. 26. ad Pelgan, Tanta est  
animantis, pulchritudo, dignitas, vis, vigor, ut si DEUS non esset,  
ipse DEUS esset. Quare, Dii estis. Joan. 1. quomodo id fiat, De-  
dit eù potestatem filios DEI fieri. De quo Aug. tr. 2. in Joan. Ma-  
gna benevolentia, magna misericordia, unicus natus est & noluit  
manere unus. Multi homines cum filios non habuerint, per aliã  
etate adoptant sibi, & volunt esse faciunt, quod natura non potue-  
runt. Si autem aliquis habeat filium unicum gaudet de illo, quia  
solutus omnia possessor est, & non habebit qui cum eo dividat her-  
editatem, ne pauperior remaneat, non sic DEUS. Quia DEUS dedit  
illis potestatem filios DEI fieri. Ne verò ex sua sublimi dignitate  
inflectur, clamat Bern. serm. 3. in vigil. Nat. D. Adverte homo  
quia limus es, & non sis superbus quia DEO conjunctus es, & non  
sis ingratus.*

Videamus quomodo homines sint affectantes. Homo  
sic in alto constitutus voluit altius ascendere. Filii excessivi omnes  
Affectantes omnes, hæc affectatio in caelis inter Angelos in-  
cepit, Adamum decepit, infecit omnes. Nabuchodonosor  
erexit statuam altam cubitos 60. Quæritur 1. Cur Rex cum  
esset vivus statuam sui exexit? 2. Cur fusam & solidam? 3.  
Cur non minorem? Ambitio. Osee 5. *Falsi sunt Principes  
Juda velut assumentes terminum.* Id est transferentes, sicut vi-  
cinus avarus transfert, Plebejus vult esse Nobilis, &c. Et sa-  
crificiis veteribus expulsa aquila. Quare? S. Th. 1. 2. q. 102. *Fi-  
gur alis ratio horum est, quia per omnia ejusmodi animalia prohi-  
bita, designantur aliqua peccata, in quorum figura illa animalia  
prohibebantur & ulterius art. 6. In aquila que alte volat super-  
bia prohibetur. Hinc Osee 9. Ephraim quasi avis evolavit. Quæ  
pennæ? Gloria eorum ab utero, à partu, à conceptu. Ita si in ho-  
minum sunt affectantes.* Sicut



*Sicut homines moriemini.* Carolus v. postquam arcem ædificavit supra Neapolim, vocavit Proceres quod esset illorum stemma, quærendo. Dixerunt equum; ille ostendit arcem, ecce hic est frænum. Pl. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus.* Sed non obedierunt, Job. 31. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum putat,* ecce frænum. *Moriamini.* Iumentum moritur, nihil superest. Homo moritur, Job. 19. *In carne mea videbo DEUM meum.* Moriuntur animalia. Homini dicitur. *In qua hora non putatis filius hominis veniet.* Et hoc fiet citò. Job. 9. *Velocius dies mei transferunt, quàm à texente tela succiditur.* Similis vita telæ velocius quàm textor. Mors in se terribilis. Scribit Dion. Carthuf. de Lazaro quòd resuscitatus nunquam riserit, quia ut scribit Joan. de Voragine intellexit se iterum moriturum, hoc frænum est. 2. Cor. 4. ubi egit de moribus Gentilium. *Ergo mors operatur in vobis, vita in nobis.* Nos timore mortis nos mortificamus, vos spe vitæ omnia mala agitis. Qui opes appetit, &c. Vita operatur. Tertull. de Anima; ita de morte. *Speculum ejus somnus Somnus cibos sequitur, crassus crassos, &c.* Ita qualis vita, talis mors. Sicut speculum corrigit vultum ita mors mores. Quare Ecol. 10. *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris, quia curatio maxima cessare faciet peccata.* Frænum est memoria mortis.

*Sicut unus de Principibus cadetis.* Princeps fuit de quo. *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Abrahamo Ethei Gen. 22. *Princeps DEI apud nos es.* Alius Princeps mundi, alius DEI. De Defuncto factum. *Sicut unus de Principibus cadetis.* Cui servit Isid. de summo bono. *Vita piorum norma aliorum, qui dum laudantur alii informantur.* Natus N. in familia, &c. Sed hoc minus Bern. epist. 72. *Mirum opus natura, unde grossescit materia indo sarcina levigatur & quantum crescit in massa tantum decre-*



*scit in pondere.* Ab aye susceptum quæ quò majores habet alas  
eò levius volat, ita & homo virtutibus ornatus. Maxima ta-  
men gloria si quis statui suo satisfaciat. Defunctus fuit in statu  
triplici. Adolescentiæ cælibis, conjugii, &c. Pluc. Proem.  
in Agi. scribit fabulam, voluit ducere cauda serpentem, pes-  
simè, ergo caput ducat Ephes. 5. *Caput mulieris vir.* Ira & in  
homine anima est vir, corpus uxor. Aug. tr. 2. in Joan. *Ubi ca-  
ro imperat & Spiritus servit, perversa domus est. Quid pejus do-  
mo ubi fæmina habet imperium supra virum? recta autem domus  
ubi vir imperat, fæmina obtemperat.* Quare etiam Gen. 3. di-  
ctum Evæ. *Sub potestate viri eris & ipse dominabitur tui.* Jam  
ad statum vidualem.

Postunt vidui & viduæ dicere. Pl. 115. *Dirupisti vincula  
mea tibi sacrificabo hostiam laudis* jam liberius DEO servire po-  
sunt. Damiani 1. epist. 12. *Plurima mulierum affectant dissolu-  
tionem vinculi Matrimonii, pleraque suscipiunt ejusdem dissolu-  
tionem cum submissione mentis, non sine marore cordis, & à fructibus  
earum cognoscetis eas, quædam enim illarum sacrificant mundo,  
quædam cælo. aliæ immolant DEO, aliæ diabolo.* Videndum ut  
quid faciunt impensas. Divites sunt ut apes, ex subditis mel  
ex sugunt, sed venit mors cum fumo, apes fugient, mel tol-  
letur. Pl. 101. *Defecerunt sicut fumus dies mei.* El. 48. *relinquent  
alienus divitias suas.* DEO dabat mel Defunctus per eleemo-  
synas, &c. Baron. an 567. Hermoaldus homo dives cum esset  
graviter infirmus misit eleemosynam ad cœnobium S. Lau-  
domari Abbatis, erant 40. coronati Gallici: quemlibet ol-  
facie Abbas, & 39. remittit. quia alii cum injuriâ subditorum  
acquisiti, si modò ita examinarentur nummi. Faciliùs mergi-  
tur quis in aqua fluvii dulci quàm in mari amaro, pereunt in  
dulci Judæ. *Abeuntes post carnem alteram.* Et viduæ 1. Tim. 5.  
*Cùm luxuriata fuerint in Christo, volunt nubere. Quæ in dele-*



*cies est vivens, mortua est.* Non sic defunctus, voluit esse in aqua dulci, sed apud Abdiam non poteris esse sine cruce. *Si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te.* Basil. hom. in Mar. Jul. *Quò fugies o homo à tribulatione? cælum te dejiciet, terra rejiciet, mare evomet, infernus non proteget, fugitivus DE I cum sis quis te abscondet? quis recipiet? Crux sequetur, etiam bonos, sed aliter quàm malos.* Aug. 21. Civit. 4. *De ipso igne mira quis explicet? quo quaque adusta nigrescunt cum ipse sit lucidus, & panè omnia quæ ambit & lambit, colore pulcherrimo decolorat, neque id quasi regulariter definitum est, nam è contrario lapides igne candente percolti, & ipsi sunt candidi.* Uritur lignum sic carbo niger maledictionum, &c. Thren. 4. *Denigrata est facies eorum supra carbones:* At boni fiunt candidi, ita Defunctus fuit patiens. Matres solent imprimere in utero fœtui signa, vel ob motum, vel ob gaudium, vel ob grande desiderium. Imprestit Eva maximè mulieribus. Rupert in Genes. lib. 3. c. 2. *Mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè prospectans qualis extra paradysum mundus haberetur, occasio porrecta diabola unde tentaret.* Quia fuit vaga, hoc in filias transmisit, ita in ludo Scachiorum ubique discurrit Regina, non talis fuit N.

Misit ad N. DEUS Legatum morbum, venerant Legati Sicilia ad Carolum Magnum, invenerunt in horto laborantem, mirati, respondit illis. *Saris est, non invenistis otiosum.* Ita defunctum reperit morbus. Furatus quidam horologium Ferdinando 1. Imp. detinuit illum donec sonaret, sic prodidit & ita. Pl. 9. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Ita Adam sub arbore, Caim repertus in homicidio, Sodomitæ in scelere, Absalom in rebellione, Aman in fraude, omnes puniti. Hieron. ad Demetr. *Malorum operum pessima merces.* Mortem Th. Morus excubiis nocturnis in civitate,



comparavit, qualem inveniunt talem Judici sistunt, sed mori placari non potest. In bonis operibus invenit De-functum, vobis relinquit. *Vive memor lecti.* Epictetus in Eucbiridio, *Mors & exilium, & omnia que in malis habentur, ob oculos tibi versentur quotidie, omnium verò maxime mors, sic nihil unquam humile cogitabis, nec impense cupies quidquam.* Hoc memora, illa omnes coæquabit, & ex levi sæpè causa. Plin. lib. 7. c. 7. *Tu qui viribus corporis sis, tu qui fortune munera amplexaris, tu quis semper in victoria mens est, tu qui te DEUM credis aliquo successu tumens, tanto perire potuisti, atque etiam hodie perire potes, quantum serpenti ictus dente, aut etiam ut Anacreon Poëta, acino ura passe: ut Fabius senator potò in lactis hausta uno pilo strangulatus.* Greg. Nazianz. orat. 16. *Ad imaginem DEI facti sumus, sed, Hec nostra temperatio est, ut cum imaginis dignitas nobis animos exulerit, pulvis eosdem deprimat contrahatque.* Juvenis es, potes cito mori, cor citius formatur quàm oculi, tamen oculi citius moriuntur. Hanc hereditatem relinquit nobis defunctus, claudio verbis Pl. 24. *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hereditabit terram.*

### In Funere cujuslibet.

**E**T sicut Abraham egreditur N. de domo sua, de cognatione vadit trans mare, valedicit vobis. Non redibis defuncte ad domum tuam, jam Filii in veste lugubri, non tali olim apparatu solebas progredi, pro curru feretrum. Eccl. 50. de Simone Sacerdote dicitur. *Circa illum corona Fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi arborum palmarum, oblatio autem Domini in manibus eorum.* Ita circa vivum ibatur, at modò cupressi, faces, sola oblatio superest, omnes vovent Eccl. 17. *Vade in partes sæculi sancti cum viventi-*